

patiens, si quantuluscunque de te sermo inter loquendum fit. Ego ipse (dii sciunt), pertæsus^{c)} tam longam in patria vitam, Italiam versus pedem moveram et iam a patria longe aberam, quum nuntius rei insperatę ab itinere revocavit. Devovi causas^{d)} dehortantes a deliciis, quibus animum apud te ac tui similes probe explessem; stat sententia, bruma futura, si numina læva^{e)} sinent, semotis omnibus rebus eo ire. Placuit diis immortalibus, me Ioannis Pannonii compluria ingenii monumenta et suo Marte nata et e Græco versa in Latinum sermonem invenire: Plutarchi De Utilitatibus Inimicitiarum^{f)} libellum, item eiusdem De Negotiositate alterum, Homeri quasdam fabulas, elegeias elegantissimas necdum Viennę impressas plures, epigrammatum libros duos, — alii desiderantur^{g)} — quibus sic Martialem secutus est, ut nec lac lacti similis sit, de Marcellis quoque panegyricum, poëma adeo varium, adeo multiplex, adeo eruditum, ut circulum, quem quærimus^{h)}, doctrinarum facile sit deprehendere. Rogo pro tua in me perspecta benevolentia, mea in te observantia singulari: aliquid ad me literarum scribito de literis, valetudine, fortuna. Possum tuis fortunis prosperis mœroribusⁱ⁾ multis levare. Quę nostrę patrię sunt, tibi erunt ad manum, dum intelligam. Patronum meum, dominum Collimitium, iubeo salvere, cui me commenda. Albę Iulię, Idibus Augusti, anno MDXVIII.

Tuus *Adrianus Transsylvanus*,
canonicus *Albensis* etc.

Eminentissimo Ioachimo Vadiano, poetę laureato, artium ac saluberrimę medicinę professori^{k)} Viennę Pannonię, domino observandissimo.
Ex Transsylvania.

a) „amiticię“. — b) „successus“. — c) „pertesus“. — d) „causas“. — e) „læva“. — f) „inimicitiarum“. — g) „desyderantur“. — h) „querimus“. — i) „mœroribus“. — k) „professori“.

l) Vrgl. I, Brief 19.

1518 Sept. 13. M.v. Watt 171 Nr. 37.

I 132.

133.

Oswald Myconius¹⁾ an Vadian.

Zürich. 1518. September 15.

Freundschaftliche Gesinnung des Erasmus gegen Vadian. Eine neue Schrift des Xilotectus und des Erasmus.

S(alutem). Miramur hic omnes, ut vivas, quę conditio tua, quam cito sis abiturus Viennam, an abiturus sis. Hoc ego scribo: Erasmus literas tuas accepisse animo gratissimo neque parum commendasse

elegantiam stili atque respondisse, tametsi prius te non noverit, effecturum nunc, ut intelligas amicitiam inter vos hisce literis inchoatam. Quod nihil rescripsit, fecit repentina eius abitio a Basilea. Epistolum, quod ad me dedit, etiam pressit, in fine sic habet: *Nos hinc pestis abigit, cui maximam malam pestem imprecor*; unde manifestum, non tantum temporis superfuisse, ut rescriberet. Fuit hic Xilotecti nostri nomine Curtius quidam, qui Molam eius habebat portaturusque erat Basileam, ut denuo imprimatur. Voluit Xilotectus rem prius abs te probatam atque Molam honestatam epigrammate. Sed alter noluit manere, quousque ad te de hac re aliquid scribere possem; quamobrem nescio, an esset serius factum, si hodie aliquid huiusmodi abs te huc mitteretur. Erasmus scripsit Encomium Matrimonii et Medicinæ. Si hic invenissem, misissem ad te. Spero autem me propediem habiturum; tunc autem et tu habebis. Fac, quam brevissime intelligamus de rebus tuis omnibus. Grebelius nondum ex Thermis rediit. Vale. Tiguri, ex mensa decimo septimo Kalendas Octobris, anno MDXVIII.

Oswaldus Lucernanus tuus.

Ad doctissimum Ioachimum Vadianum, medicinę doctorem,
poetam laureatum et oratorem clarissimum, amicum suum optimum.
apud Sanctum Gallum.

l) Vrgl. I, Brief 105.

134.

Wolfgang Heiligmaier¹⁾ an Vadian.

Wien. 1518. September 24.

Sehnsucht nach der Rückkehr Vadians nach Wien. Vorkommnisse an der Universität.

S(alutem). Scribam ad te Laconico more. Nescius enim sum, an patrios inhabites lares necne. Ita omnes coniectura ducimur ob id maxime, quod tam diu nichil litterarum ad nos dederis. Arbitratur Collimitius^{a)}, me plures accepisse; quod tamen ad se nihil scripseris^{b)}, ea gratia me omnes occultavisse^{c)}. Scripsi^{d)} ad te ante aliquas septimanas^{e)} de rebus omnibus. Quærit^{f)} indies Gundelius^{g)} adventum tuum. Velim accelerares, tuis rebus expeditis. Avide te præstulamur omnes. Fac, nos tuo adventu exhilares. Die 23. Septembris electus est collega magister Bernhardus Otto. Est apud nos archigrammatheus Brunnensis,

I 134.